34-P-B-1 4
113

# ORATIO GRATVLATORIA

## IN ADVENTVM ILLVSTRISS. D. D. ANDREAE DE BNIN OPALINSKII,

Regni Poloniæ maioris Secretarij, Præpoſiti Plocenſis, & Oratoris à potentiſs. Sigiſmundo III. Poloniæ, ac I. Regnorum Sueciæ, Gothiæ, &c. Rege,

## AD S.D.N. PAVLVM V. P.O.M.

ANNO CIↃ. IↃC. V. MISSI.

Compoſita ab Iſraele Potamandro Gotho, & habita Romæ pridie Cal. Auguſti nomine Suecorum ibidem ſtudentium ſub Capitolio, in præſentia nobiliſſimorum Virorum, in Aula eiuſdem Reuerendiſſimi Legati; cui hoc, mole quidem corporis tenuiſſimum, ſed animi cupiditate ampliſsimum, venerationis ſuæ ſignum quam ſtudioſiſsimè dedicat.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE
4

34 B. 3. 11

# ORATIO GRATVLATORIA

IN ADVENTVM ILLVSTRISS. D.

# D. ANDREAE DE BNIN

OPALINSKII,

Regni Poloniæ maioris Secretarij, Præpoſiti Plocenſis, & Oratoris à potentiſs. Sigiſmundo III. Poloniæ, ac Regnorum Sueciæ, Gothiæ, &c. Rege,

## AD S.D.N. PAVLVM V. P.O.M.

ANNO CIϽ. IϽC. V. MISSI.

Compoſita ab Iſraele Potamandro Gotho, & habita Romæ pridie Cal. Auguſti nomine Suecorum ibidem ſtudentium ſub Capitolio, in præſentia nobiliſſimorum Virorum, in Aula eiuſdem Reuerendiſſimi Legati; cui hoc, mole quidem corporis tenuiſſimum, ſed animi cupiditate ampliſſimum, venerationis ſuæ ſignum quam ſtudioſiſſimé dedicat.

ROMAE, Ex Typographia Aloyſij Zannetti. MDC

*Superiorum Permiſſu.*

CVM optatiſsimum Nuncium accepiſſemus, ornatiſsime Domine, Illuſtriſsimam Dominationem tuam, Potentiſsimo Sigiſmundo Dei gratia III. Poloniæ, ac primo Sueciæ Regi, ad Sanctiſsimum D. N. Paulum V. Pont. Opt. Maximum, hoc eſt, primam poſt Deum in terris perſonam, arduæ magnæq. rei cauſa, in legatum electam, eo iucundiorem nobis eam ſperabamus ſortem fore, quo illuſtriores tuæ virtutes exſtitere. in eam etenim mox veniebamus ſpem, vt non modo S. R. Maieſtati hanc legationem maximo emolumento, & tibi ſummæ laudi, verum etiam nobis quoque Regijs Alumnis plurimo commodo futuram crederemus. Qui enim animum, veluti bonorum optimum admiratur, ac mentem virtutibus, & doctrinis cultam, non poſsit non amare eandem amantes fœlicitatem, necnon promouere, & iuuare, qua potiſsimum via ad huiuſmodi gloriam niti, atque peruenire poſsint. Ac tu, qui virtutem colis, dubio procul, & ſine omni controuerſia, in talem ſimilemue lætitiam profuſus gaudes, & exultas Cælio Secundo Nouocomenſi, ſicut ipſe ſuo Maximo, propter Fuſcum Salinatorem, & Numidium Quadratum probos iuuenes, quod ſuis veſtigijs inſtaret

exclamat: ò diem lætum, ò diem (repetam enim) lætum, notandumque mihi candidiſsimo calculo. quid enim, aut publicè lætius, quàm honeſtiſsimos iuuenes, nomen, ac famam ex ſtudijs petere? aut mihi optatius, quàm me ad recta tendentibus quaſi exemplar eſſe propoſitum? quod gaudium vt perpetuò capiam, Deum oro, ac eundem teſtem peto, vt omnes, qui me imitari tanti putabunt, meliores eſſe quàm me velit: neque enim ego, vt multi, inuideo alijs bonum: ſed contra ſenſum quendam, voluptatemq; percipio, ſi ea, quæ ipſe poſsideo, alijs quoq. video ſupereſſe. Hæc ſunt tua, Illuſtriſsime Domine in perſona Cælij verba, ſententiæ, aduerto, ſcio, ſentio, ac perſentio quid tacitè tecum ex diuinatione cum Cicerone: quod enim munus Reipublicæ afferre maius, vtiliusq; poſſumus, quam ſi docemus, ac erudimus, atque promouemus iuuentutem? Dubitabit igitur quiſquã noſtrum, hanc legationem ſibi in vtilitatem non ceſſuram? Quod cum nos cognouiſſemus: nouimus enim, quia in exigua, ijsque, quorum virtutibus obſtat res anguſta domi, non magna fortunâ verum illud eſt: virtutes vt appareant diu luctandum, vitia tenebras habere. tanta tua dignitas, nihil tectum, nihil occultum latere patiatur; non ſolum domos, ſed cubicula ipſa, intimoſq. receſſus recludit, & quanti ſis, quantiq; æſtimandus famæ

noſcendum proponit, atque explicat, quæ extra fores egreſſa non tantum proximis ſubſellijs reſonat, verùm ſerpit vberius, viresq; acquirit eundo, & Solis vtrámq; domum, littoraq; ſub vtroq; iacentia Phœbo voce replet, ac quà ſol habitabiles illuſtrat oras, ijſdemq; quibus ille finibus terminatur: quod inquam cum cognouiſſemus, nō more multorum, aut conſuetudine, vt fieri ſolet, vel leuitate aliqua motos, huc ſubitò cum inconſtantia quadam, ac curioſitate accurriſſe velim exiſtimes; ſed intimo ſenſu permotos, & adductos, affectuq; cōpulſos, in primis tantam maximarum rerum celebritatem, & amplitudinem, ac nominis tui gloriam gratulaturi acceſsiſſe; deinde noſtrum gaudium proprijs vocibus conteſtatum, & aliquod ſubmiſsionis noſtræ expreſſum teſtimonium, humileq; obſequium, tam Illuſtri virtuti debitum, declaratumq; habere voluiſſe.

Gratulamur itaque, & quidem ex animo gratulamur, multis nominibus, tùm quia hac dignitate, nihil iucundius, nihil laudabilius, amabilius nihil tibi hoc honore contingere potuerit: dicere etiā poſſum, nec fructuoſius quicquam, vtiliuſq;; tùm quia neque iter licet periculoſius, non tamen ſecurius, ſuauiuſq;. Vnde exordiar? quid primum aggrediar? video namq; te ſegetem encomij, virtutum tuarum ſpicas granorum ditiſsimas, leuiter digitulo

ductus

ductus, vno oculo meſſurum, verum, promitto, nec vtroque comprehenſurum. tu, pro tua ſolita erga omnes humanitate, mihi pro viribus ieiunè, loco molliter, tempore feſtinanter, incultè, moderatè, preproperè: dilucidè tamē, explicatè, expeditè, perorant, quò ferar, ſumma ſequens faſtigia rerum, placidis arrectiſq. auribus aſta, atque animo hauri. Quid in vita ex lætiſsimis magis voluptate plenū, quàm D. T. Illuſtriſs. ſociū S. R. Maieſtatis, arcanorum participem, ſpectatorem non ſaltem laudis, ac gloriæ: at conſiliorum adiutorem, at dignitatis fautorem, at omnibus in rebus amiciſsimum, fideliſsimumq; cognoſcere? addo, vel ipſo Stagerita iudice: honorem iucundiſsimorum eſſe, quo ex loco mihi aperiretur maximus dicendi campus, & infinita pænè argumentorum copia, ſic vt nulli, vel leuiter litteris tincto, in hac materia deeſſe poſſet longiſsima oratio. verùm propero, curro, volo. Neque enim patientia tua, loci huius, temporis ratione abutendum. vnum ſolummodo innumera præteriens, atque ſilentio inuoluens, caput innuo: tantò carior eſt ſuus vnicuique honor, quantò ægrius tam publicæ, ſiue ſine, ſiue cum imperio, quàm priuatæ ordinis, ætatis, ſexus, ſtatus, inſtitutionis vitæ perſonæ; & reſpublicæ, atque Imperia ſeſe eo priuari ſinunt; quantoque pro eo fortius vel ipſæ feræ depungnant. pleni libri, plena exemplorum

vetuſtas.

vetuſtas. narrant Hiſtorici, Oratores loquuntur; natura patet. Quid? quorſum bellicus, quorſum vniuerſus litteratorum labor? quid congregatio? quid Ciuitas? Hem Marce Tulli in hoc genere nimius es, immenſus, tumidus es, non vacat modò, ſile. namq; vt meus de Pindaro Flaccus: ſic ego iure de Ciuilium cauſarum egregio, ac incomparabili deceptatore Romanarum, cùm circa alia multa, tùm plurimùm honorem, atque gloriam:

*Monte decurrens velut amnis, imbres*
*Quem ſuper notas aluere ripas:*
*Feruet, immenſusq. ruit profundo*
*Tullius ore.*

Neſcio profectò quò me vertam? opprimor multitudine. tu ad quem miſſus es ipſe vides, magnitudinem negotij, me forſan melius, ipſe calles. tàm magnæ rei regali te iudicio ſingulariter electum, & virtus tua, & maiores tui fidem faciunt. Non expectes quidquam à me hoc loco, de proauorum ſanguine; longa ſeries, Illuſtris proſapia, Martia progenies; alienum bonum, ſequamur propria, germana. Mihi profectò, per quietem, ac ſomnium huiuſmodi à numine, vt reor, aliquando miſſa ſententia: non minus me Hercule ridiculus eſt is, qui ſe parentibus nobilem putat, quàm quis ex vicinitate diuitis ſeſe opulentum credat: aut tempore proximus ſapienti, in cognitione excellere. Sæculum, vicus, ſecundum

prius, ac poſterius eſt, ſi te verteris retrorſum iacentia fiunt antrorſum; ſiniſtrorſum, dextrorſum, & è diuerſo. Neque Iupiter Saturno, Roma Carthagine, Hecateia Aulis Ilio, Danaum genus Dardanio, vrbeque Aſſaraci, Hercules Sampſone propter temporis rationem viribus, atq. robore eo eſt infelicior, immò nec virtute. diſcurrite vos per cætera. nam & in terreno, & æthereo, ſuperiori, ac inferiori axe exempla reperietis. Patricius Socrates non fuit, Cleantes aquam traxit, Platonem non accepit nobilem philoſophia, ſed fecit, ex agris ad conſulatum, & agreſti tuguriolo Tullius Hoſtilius, Tullius Seruius, Tarquinius, Cato Tuſculanus fuit, Cicero Arpinas, innumeri virtute non natalibus ſe decorauere. Semina rerum inſpicite omnes matres, fœminæ prima noſtra cubilia æqualia ſunt, nec equus ab equo ſpecie differt, nec Liuia a Xantippe, nec genitrix Neronis ab Agathoclis. radices betularum quantum inuicem diſcrepant? quercinæ à quercinis? Fidiſsima cuſtos foribus Auguſti quæ ſteterat mediamq; Iouis arborem tuebatur, exaruit, ſorores ſuæ in ſaltibus ſuccum ſuum tenent viuidæ, vegenteſq;. Neque rarò (multorum ſanè euentu à me notatum) melior ſanguis, verus, incorruptus, ſub culmo viuidas alit venas, quæ peragunt ſolitum tenoris iter virente genu, quàm ſub aureis laquearibus: vbi cum focis, ac Vulcano cæna ambulat, &

ad ſingula fercula mutantur, mouenturq; tecta: otio, atque inertia aterrimus cum torpore graui defluẽs, Naturæ tuæ quid additur, ſiue ex portico, ſiue cryptoportico; ſiue atro atrio, ſiue alto thoro, & eburneis lectis tribus triclinio exieris? an Xyſto dum veneris, an ex androne, vbi plus tibi ponderis accreuiſſe putas? non domo Dominus, ſed Domino domus cohoneſtanda eſt? crede mihi non deaurato baltheo, nec vagina gemmis collucentibus, ſed ſubtili acie, & mucrone munimentum omne rupturo, ſi ſapis, machæram elegeris; equum etiam non ſtragulis, & ephippio tumidum, ſed cui hæc adſunt Bucephalum, vel alterum: lucius, anguilla, ſerpens, leo, fœmina, catus: capite, ſpina, collo, pectore, clunibus, pedibus. leo iuba, amploq; toro, non annulo æſtimatur, nec arcula precioſis veſtibus. nauis bona dicitur non coloribus picta precioſis, nec argento roſtrata, nec celata ebore, fiſco, opibus regijs preſſa: ſed firma, ſtabilis, ſpiſſa iuncturis aquam excludentibus, ad ferendum incurſum maris ſolida, gubernaculo parens, velox, ſentiens ventum; commendemus propria; ficta, fucata, tumida, tributim ſeſe inflantia, ac componentia, luſoria, muſcipulas, nodi, argentea ſpuma, bili tincta, permittantur ſophiſmata, cauillatoria, paralogiſmi, apparentia, conjectantia, non exiſtentia vera. Non tamen defiteor, nec inficias eo, & formas, & mores, & pleroſq; ſta-

B tus,

tus, ac motus effingere parentum ſanguinem liberis: ſed id natura euenire dicimus, non electione: natura enim cum cæca, ac mente carens ſit: vi ſuâ ſecundum vltimum operatur. quòd ab ijſdem parentibus nati diſsimiles, & naturas, & vitas, & caſus habent. Nobilitas verò, cùm ſit quædam virtus, vti volunt, quæ eſt electio, habitus, & bonum beatũ, diuinum, longè commune, diſciplina, ac diligentia, niſi læſi, ac manci fuerimus, acquiſibile; quæ ex ijſdem, ac per eadem acquiritur, corrumpitur, ac, vt dici ſolet, ex ſimilibus operationibus: natura eã generare, ac in natos profundere omnibus ſuis facultatibus nequit. quippe cũ illa noſtro, hæc ſuo tantũmodo nutu regatur. Nemo ergo ſolo ſanguine neq; bonus, neq; malus, ſed inſtrumentũ ad hæc accepit, aut bonum, aut malum, quod natura non induſtria dedit. Et ſi ad origines reuocandum, omnes à Deo genus ducimus. Quorſum hæc diſputatio? quorſum? vt intelligas, te non fomento nutricis, nec cæco beneficio parentum, & improuido fuiſſe contentum; ſed acquiſiuiſſe ſtudio, atque opera quoddam bonum proprium, quod facilè auferri nequit. quàm pulchrum eſt non alios fumoſis imaginibus ſaltẽ in tuã gloriam vixiſſe? ipſe exeruiſti animũ, nec in maiorũ virtutibus hæroicis poſuiſti præſidium, virtuti nauaſti operam, & aut parem, aut plus gloriæ illis, attuliſti, quã accepiſti. Neq; enim eos immitari ſoleo,


leo,

leo, qui vbi parum, aut nihil in re eſt, omnes vias aridi, famelici, ſic nonunquam auidè inſectantur, apertoq́. hiatu perſequuntur, vt dùm putant ſe proximis veſtigijs inſtare, redduntur ſaltibus, ac ſiluis deuia luſtrant, falſas imagines, vmbras, laruas, nuſquam apparentes, nil, præter inanem aurium ſonitum, relinquentes, viribus abſumptis, tandem redeunt. Certè ſudor irrupit, hiat lingua, vox faucibus hæſit. non poſſunt. concidunt. ſpectatum admiſſi, riſum teneatis amici. cachinnus mihi ferè. Nonne videtis perniciſſimi oratores, dùm omnia agitis, nihil agere?

*An tibi Mauors*
*Ventoſa in lingua pedibuſque fugacibus iſtis*
*Semper erit?*

Nolunt. iterùm, iterumque ad muſcarum ſuperuolitantium vmbras? certè deſipiunt, inſaniunt. ad oculis obuiam feram emiſsi, neſcio quibus furijs ad phantaſmata. in plano, ante pedes eſt. currite. abſiſtunt.

*Poſt mihi non ſimili pœna commiſſa luetis,*
*Maturate fugam.*

Relinquenda Lyciſca, Iſſa, abiecta, humilia, vix latratu ad ſigna valentia: hortemur celeres, perque alta montium iuga generoſiores, qui ſonitu, ſaltuque plus quàm vicina fatigant:

*Inde ruunt alij, rapida velocius aura,*
*Pamphagus, & Dorſeus, & Oribaſus, Arcades omnes,*
*Et niueis Leucon, & villis Asbolus atris,*
*Per rupes, ſcopuloſque, adituq. carentia ſaxa,*
*Quaq. eſt difficilis, quaq. eſt via nulla ſequuntur.*

Attendite. Quam verò laudem, quam ego gloriã, aut fuſius, copioſiusue; aut formoſius, pulchrius, diuinius commendem hoc ornamẽto? nunquid hæc legatio tantum munus, prouincia tanta, tàm difficile, tàm graue onus aliud ſignificet, quàm Illuſtriſſimam R. Tuam in periclitando non ſuccumbere? quam in oblectando non capi? quàm in diſtribuendo, commutandoq. non fallere? quàm in conſultando, agendoq; non errare, non decipi? circa dationem, & acceptionem, nec profundere, nec ſqualere; circa facundiam vincere, tenere animos; circa honores, ac ignominias, deſpicere, ferre ſe vt oportet. in congrediendo, conuerſando, alliciendo, manſuetudinem, grauitatem, comitatem; beneuolentiã: mediocritatem, veritatem, in omnibus moderationem, atq; amicitiam, iunctamq; cum natura artem ſeruare. Hæc ſunt propria, & vera bona; vera nobilitas. qui enim nihil aliud habent, quàm maiorum imagines, ſiue hæ ſint propriæ ſpecies, ſiue ſtantes in curribus Aemiliani inania nomina, non propria decora proferentes, ij opinione magis nobiles ſunt,

quàm re, at qui virtute præditi, habent veram, ac germanam nobilitatem. nam genus, qui iactat ſuum, aliena laudat, & proauos, & quæ non fecimus ipſi, non ea noſtra puto. Animaduertiſſe iam vos arbitror, quàm ordinatum, temperatumq; capiunt impetum, quomodo inter feram, actionemq. conueniunt, excitant marcentia, ſoluta conſtringũt, contumacia domant, verſus accliuia intendunt, per decliuia inhibent, mittunt vbi vſus poſtulat ne ſeipſos vehementer lædant, formant, fabricant, diſponunt, regunt, animum, vitam, actionem, corpus, agẽda, & omittenda norunt, ſedulò per ancipitia fluctuantium dirigunt curſum, vt conſilium, ratioq. exigit, modò exceſſum, modò defectum declinant, medium, ſcopumq; collimant: benè eſt, aliter ſe ſe habent quam Iſſa, lentum negocium, ignauum pecus, terræ filius; inhæſuris ſimiles mihi videntur, in his eſt ſagacitas ad inueſtigandum, curſus ad conſequendum; audacia ad inuadendum; certè extento ſtringunt veſtigia roſtro, feræ vix ipſis morſibus eripiuntur, tangentiaq. ora relinquunt, ſanè tenent, inhibete curſus velocium, mox aderit Heſperus, reſeruentur in craſtinum. Sin autem quis requirat curioſius quam neceſſe eſt, cur de intellectu, ſcientia, ſapientia, de arte, ingenio, memoria, de forma, de cæteris taceatur? nihil eſt, quòd expedire tàm facilè poſſimus. nam cum vela ventis dederimus,

mus, fugerimuſq; ſpumantibus vndis, mare qui ferre nequeunt, effundant, rumpantur nauſeabundi. Iam magnitudo, numerus, poſitus, formatio inſtrumentalium in organicis: temperies, amicitia, commenſuratio ſimplicium in contrarijs: in tactu moderatio, in viſu color, quæ eſſe poſſunt, optima adſunt, quid Aeſculapi de ſanitate? num hæc ab aduerſis extra incurrentibus facilè læduntur? minimè gentium. pulcherrima lineamenta, nec deficiunt, nec ſuperant, quid vos Metapoſcopi, qui artem quandã coniecturalem ex vultu tenere profitemini? aſpicite parencephalidem, ceruicem, neruos, frontem, nũ figura, firmitate, ſubſtantia, concinnitate ſibi conſtent? ſemetria. nonne longè, lateq; dignitatem, perſonam regiam oſtentant? Simos naribus, deformes fronte, hirſutos humeris, repãdos cruribus: gibberum, blæſum, elinguem, luſcioſum, varum, valgũ, compernem, pætum, bronchum: vitia effugit: non hoc peto, dicite: concreta laboribus membra ætatis indeflexa maturitas, lætum opere corpus, lætum motibus, ſiue hic, ſiue illic exerceatur. rectè quidem, non me latet; vt ſecretorum eſtis tenaciores? pergite, profundite: proceritas molis, capitis honor, dignitas faciei, os planum, vox virilis, muta eſt cõmendatio, arcana mentis loquuntur: tenax memoria, magnum ingenium, inuictus animus, his iudicium æquale, fælicium ſyderum filius, ad laudem

natus

natus,capiti decus. Sic eſt,ſic eſt, gaudeo, veneror. Nec verò laudauerim per ſe magnoperè,aut candidulos dentes,venuſtos oculos,colorem ſuauem,mollitudinem orationis,& rancidulum quiddam balba de nare loquutum, & ea, quæ Euriclia laudat Vlyſsi pedes abluens: aut duriciem lacertorum,quæue in oculos,aureſq; incurrit, formam, ſonumque: amor enim formæ rationis obliuio,bonum fragile, præda,ac ſpolium ſenectutis: ſed quia his validior toto corpore animus imperitat, quem non fortunæ indulgentiæ molliunt,non copiæ ad ſegnitiem, luxumq; detorquent,atq. torpentis animi ſitum.Gratior igitur eſt pulchro veniens è corpore Virtus. Iam poteſtne eſſe ex rebus amatis amabilius quid. quam, quàm ab omnibus diligi? non enim difficilè iàm tibi erit,à cunctis amari, magniq; fieri, multi certatim accurrent. primum,quia vnum amare facilius eſt,quàm multos; poſt, quia tibi amicos obligandi tuos, adeſt facultas tanta, vt nemo poſſit te, niſi ingratus, non magis,magiſq; amare,colere,venerari. tùm quia ſicut dignitas, ità amor facilius creſcit,quàm incipit. Hinc,inde videor mihi audire vocem multitudinis vniuerſæ, veluti Atticam illam: οὗτος ἐστι Δημοσθένης? ſic hanc, hiccine eſt legatus Regis Poloniæ? quibus ex rebus, tantò maiorem Demoſthene capies,meritoq; capere debes voluptatem,quanto anula illa ſua, laudis tuæ fautores ma-

iores fuerint. Amandum igitur tibi multum eſt, cum à multis ameris, & cùm ardentiſsimè diligas, adhuc tamen ardentius diligaris. fugiant aſſentationes, blanditiæ, & peior ordo, amoris ſimulatio. Huc vel inuitæ confluant diuitiæ neceſſe eſt: quamuis enim tuam gloriam virtus peperit: tamẽ honor, ac opes mutua quædam eſt generatio. poſſum abſque errore affirmare, citius ex illo has, quam iſtum ab illis emanare, vel vno, pluribus in locis, mihi authore, argumento, exemplo Naſone:

*Vtq. comes radios per ſolis euntibus, vmbra eſt,*
*Cum latet hic preßus nubibus, illa fugit:*
*Mobile ſic ſequitur fortunæ lumina vulgus,*
*Quæ ſimul inducta nube teguntur, abit.*
*Dum ſtetimus turbæ quantum ſatis eſſet, habebat*
*Nota quidem, ſed non ambitioſa domus.*
*At ſimul impulſa eſt, omnes timuere ruinam,*
*Cautaque communi terga dedere fugæ?*

Loquitur autem de perdita ſua exiſtimatione, vnde primum fortunis, mox amicis ſpoliatus eſt, ac denudatus. quaſi ſuum ex ordine narraret caſum: amiſſo honore, res meas diripuere, amici me deſeruere. Tanti intereſt inter præclaros excellere, partamque tueri gloriam. Quod etiam vt faceres tibi præcipere, qualemue in poſterum eſſe debeas monſtrare, pulchrum quidem, ſed oneroſum, ac propè ſuperbum, & à mea natura, iudicioque abeſt longiſſimè.

neque ego ſi poſſem, vellem: neque ſi vellem, poſſem. tantum hoc abeſt, vt etiam exclamem: macte, curre per virtutes. Quantus omnium laudum concentus, omniſque gloriæ? vita, inceſſus, conuerſatio, ſermo de homine iudicant. vt nihil tuæ hilaritati ſeueritate, nihil ſimplicitati grauitate, nihil humanitati dignitate detrahatur? cui portæ tuæ, aureſque inter ſummas, maximaſq. occupationes, immo vel ipſam quietem non patent? quem ianitor indignius excluſit? pauper an à fortuna fœlix iuxta æſtimas. omnibus æquus arbiter, Palemon; nemo nō, cui cætera deſunt, hominis nomine apud te gratioſus eſt: ex tuo reſponſo lætitiæ cauſas, non indignationis populus concipit. obligati beneficio te non potentes, ore ſeſe laudis, cui vix accreſcere poſſunt, augmenta debere confitentur. hæc tua magna virtus eſt: ſicut illud execrabile malum: ſpes improbas nihil adiuturi fouere, longis ſermonibus de induſtria non inuenientibus exitum properantes neceſſitates illudere, frontem obducere, attollere ſupercilium, demittere barbam, vultū auertere, ſcapulas contrahere, occupationes ſimulare, varijs artibus petendi occaſionem auferre, ac niſi longum ſui ſpectaculum fecerint, minus ſe poſſe arbitrari. nimiæ celeritates, feſtinationes nimiæ ingreſſu mollioribus, pomparum ferculis ſimilimæ, hinc, & hinc in ſe ipſum figere obtutus, torquere

C ocu-

oculos, quantum tibi diſplicent? argento autem ſic vteris vt fictilibus, fictilibus vt argento. de ſingulis capillis in conſilium euntibus aduerſaris; quibuſue ſibi bene eſſe non putant, niſi palato bene eſt: Hyeme roſam, turribus vda pomaria riuis, ſiluaeq; innutantia, prandium veſperi, cœnam manè, turbam lucifugarum, lychnobios, tabernam continuè, lucernam nunquam redolentes te poſcere, ad faces, ad cereos Attylij Butæ, Spanij vitam viuere, quis audiuit? quibus tanta, ſi Dijs placet, fuit frugalitas, vt nihil præter noctem conſumerent, peccandi præmium, infamiam impudentiſſimi ſine fronte, ſine ore, multorum vocibus iactatam, laudi ſibi ducerent. quid enim aiunt, non oportet facere quod Populus. tempora, tempora, mores; ſed qui ſcelus ſcelere cumulat, auget quod meruit. facilia, naturalia, trita, &, vt non multis, proh dolor, vulgaria ſalua exiſtimatione tibi placent. rectè habitas, rectè agis. bonis delectaris, quos accepiſti meliores reddis, ſpeculum, exemplar, ipſe me Hercule occurſus iuuat, à tacente profectus; quantò autem magis arduum eſt alios præſtare, quàm ſe, tantò laudabilius, quod cum ipſe ſis optimus, omnes circa te ſimiles efficere. nulla vitæ luxuria, idem domi, idem foris, eadem ſpecies ſeueritatis, diſſolutio nulla, ſumma frugalitas; nec tamen ita, vt non ſerues liberalitatem, horres quiſquiliorum deplorato-

res

res, & imminentem rebus omnibus auaritiam, latentium lucrorum indagatricẽ, quæ quidquid aliis permiſit, ſibi ipſi negat, manifeſtæ prædæ auidiſſimam voraginem, nec habendi fructu fœlicem; & cupiditate quærendi miſerrimam. Et quia alternæ ſunt vices rerum, nouæq; pergunt interire lunæ: conditionem, ac viciſsitudinem humanam ſemper ante oculos habes præcogitatam, vt nullis, neq. præſentibus, neq. imminentibus malis ſis tyro, nec minus ſtultũ arbitreris ea offendi, quam ſi quis aſpergeretur in publico. exis, vt tibi non eſſet redeundũ, tedis, vt tibi non eſſet exeundum: ſi Deus craſtinum adiecerit lucrum eſt. offendit quid? nihil nouum, quem ſæpè caſus tranſit, aliquando inuenit. nil egiſti fortuna: claſſes eodem momento, vbi luſerunt, ſorbentur, ſapiamus alieno. inuitat quid? facilè eſt paſcere paucos ventres, nihil aliud deſiderantes, quàm impleri: natura paucis contenta, ad ſuperuacua ſudatur. ducit admiratio? mundus vna domus eſt, homo tàm benè tegitur culmo, quàm auro; erit aliquando ſolitudo, vbi nunc ſuffocatur turba, ſuper Troiam, Athenas, aratur; mundi moles operoſa laborat. preſſæ aliquando turres latuerunt ſub gurgite: & ſupereſſe vidit de tot modo millibus vnam. ſic probitas, ſic conſtantia, ſic congruens morum tenor, viuendiq; ratio poſtulat: quanta verò tua eſt in tuos, in proximos, in Deum pietas? iſtis

Ciconia, turris, ſignifer: illis iuſtitia, ſolamen, columen: huic Paulus animo, obedientia Tobias, voluntate Iob; Propugnator es Romanæ Sedis; malleus, claua, nodus Herculeus, bella geris, hoſtis hoſtibus fidei, religionis. Nonne igitur ſummo Pontifici diuinitus omnibus imperanti, à ſapientiſsimo, ac ampliſſimo Rege Legatus ex omnibus eligi debuit? talem oportuit eſſe, qui ad tantum caput mitteretur. dignus tu eligi, alter eligere. O decus Poloniæ Opalinskij, ò virtutum Comes. Quid te cum cæteris comparem, aut perſequendo vitia, aut laudando virtutes? quaſi vel aliorum errore minus erres, vel laude lauderis? mouet cornicula riſum furtiuis nudata coloribus. Eſt quidem verum iuxta poſita maiora, vel minora videri. comparatio rem auget, vel minuit. nauis in mari parua, in flumine magna: ſic milium, ſic colles, ſic montes: verũ quos ſua baſi metieris, non minus pumiliones erunt ſi in monte conſtiterint, coloſsi ſi in puteo. neminem ego reſpicio, ſiue Vrbe, ſiue orbe precium impono rebus ex natura, non ex opinione. emendicet ſanè Irus, &, cui ſcilicet ex re eſt, Batillus: nobis ſufficit Craſſus, Maro. Quem honorem litteris, dignitatẽ ſapientibus, Muſis præſidium habes? quæ ex periculo tuo tantum diſcrimen adibunt, quantum ex ſalute gloriæ conſequentur. prouocate ſanè, prouocate, murmure, clangoribus, clamoribus laceſſite:

ſoni-

ſonitus,tonitrus,ſtrepitus,crepitus; gignatur Hercu les,veniat Mercurius, non refugio, gliſcit animus, deponam,etiam de grege contra gregem, quantũuis ad mulctram veniet, quantumuis alat vbere fœtus: congrediar equidem, ſi Euclione cum tota au la me feceritis diligentiorem, decertabo, depræliabor, quocumq; me animo, & cogitatione conuertero,nullus rationis,orationis nullus,nullus mihi erit dicẽdi finis:Leones erimus,Carpophores erimus, Meleagri erimus, inuicti erimus. Tros,Italusq. mihi nullo diſcrimine habetur; Namq; & nos tela haud debili dextra ſpargimus, aſſurgam in clypeũ, & turbine torquebo haſtam. quid namq. aliud honor eſt, quàm incorrupta vox benè iudicantium, de excellenti virtute? quid ergo (vt intelligas qua via proficiſcamur, inque compendium redigatur oratio) tàm ſublimis eminentia, tibi à S.R.M.meritò delata denotat? ſanè exiſtimationis beneſactiuæ indicium, regale iudicium; quid honor? certè virtutis fructum? quid amplitudo? largam beneſaciendi materiam, animum in rempub. in bonos,ſignum rerum geſtarum, gerendarumq. pecuniarum, diuitiarum, poteſtatis, vitæ ciuilis finem, demum,ne cuncta perſequar, quamuis creſco vadiq; honor,ac gloria, externorum bonorum maximum eſt: quod Deo attribui, quod ab his, qui præſunt, maximè appeti, quod item, ob præclariſſimas res,

præ-

præmium dari conſueuit. huc Sardiniæ ſegetes,Lybicæ areæ, Armenta Calabriæ;Ebur Indicum,arenæ Tagi,Arabum gazæ; fœnus,cryſtallina,paropſides; huc hæredis auara manus: Mercurius, Apollo,Minerua: Apelles,Alcimedon, Alcides; Gymnaſia,libri, volumina; huc certamina; ſtatuæ, obeliſci, Pyramides; fana, palatia, amphitheatra; monumenta, mauſolæa, Babylona; huc miracula: Salutatio, flexio, ſeceſſus; ſecures, faſces,ſceptra; currus, coronæ, triumphi; huc ſolennitas: precioſi lecti, ſuppellex varia, diue pœnu; nodus ille arboris infœlicitas, bina ſingulis auribus patrimonia, inutilia onera; poſſeſsiones, ornamenta, familiæ; huc ſumptus: huc abundantia,pompa, prodigia,victoriæ, diuitiæ: nec non facultatum, fortunarumque genus Alexandrina Numidicis diſtincta cruſtis marmora, thacius lapis, Hanibalis, Alexandri, Romanorum non ſemel, etiam ſapientum animos fatigantium: huc omnia, quorum ſiue raritas, ſubtilitas,difficultas, ſiue vilitas, fragilitas accendit precium: mea etiam oratio,huc tuum iter. Hem Deus immortalis tantane auiditas gloriæ? pecuniam in altiſſimis latebris, relicto ſpiritu libero, indagate, dimittite vos in ſpecus, in quos nullum noctium, dierumq; peruenit diſcrimen, à tergo lumen relinquite,noctem altam,qualis ſolet eſſe in abditis extincta luce, perpetuam acceptate hilariter, incuruate,

defo-

defodite vos, in fundum telluris intimæ mergite, ſuſtinete humeris terrarum molem, nunquam de acquiſitis, ſed ſemper acquirendis cogitate, infinita flamma acrior vis veſtra ſit, prodeat ferrum, prodeat aurum, crepitantia concutiamus arma, nominis gloriam quęrimus, monumenta laudis ememus: cede Pallas formoſior ego, cede Iuno ipſe Heracleotes Zeuxis me vnam ad Helenæ ſimulacrum depingendum pro multis Crotoniatis eligeret, omnia quæ ad venuſtatem quæreret, vno in corpore reperiret: vtraq; cedat, iudicat Paris, honoris inſigne Veneri: non poſsis Apelles, imperfectam relinque: ſileat Memphis nec Triuiæ templo molles laudentur honores, Cæſareum loquatur opus, vnũ pro cũctis: Magnos, felices, Auguſtos, optimos cognomina, quidquid titulorũ poteſtis honori congerite: pueri, coci, famuli, reliqua turba bellicoſis nationibus maior, diſcurrite, fiat ſtrepitus tectis, vocemque per ampla volutate atria, qui nihil agunt, ſimiles ſint agentibus, teſtes prodigalitatis adſunt ſpectatores, vicini attendunt, cras intelligent, vinci nolumus. Iam iam vos Romana ſydera, inuicta lumina, quæ nulla nox obſcurabit, nulla delebit vetuſtas, te te primo Clelia virgo plus quam viriliter cordata mulier alloquor, quid te egit, vt vorticibus te e quo crederes, atq. in Vrbem ex Caſtris tranſnatares? turbines laudum rotabant pectora, imaſ-

que vorabat flamma pœnitus medullas. Tu verò? cur Lesboum non refugis tendere barbiton? vt ſubli mi feriã ſydera vertice, & volitẽ docta per ora virũ: vilia miretur vulgus, mihi flauus Apollo pocula Caſtalia plena miniſtret aqua. Magnum ingenium, quod ſolum Populus Romanus par Impero ſuo habuit: quidquid enim habet Romana facũdia, quod inſolenti Græciæ aut opponat, aut præferat, circa Ciceronem effloruit, omnia ingenia, quæ lucem Tarpeis ſtudijs attulerunt, tunc nata ſunt: cur cùm ad ſcribendum te concitares, noctibus iungebantur dies? quia eum fructum capiebam laboris mei, vt etiam ætate prouecti in noſtris libris acquieſcerẽt, quorum ſtudio legendi, meum ſcribendi ſtudium vehementius in dies incitabatur. cur domi alebas Diodotum, Philonem, Antiochum Poſſidonium? vt doctiſsimorum hominum familiaritate, refertæ eſſent orationes noſtræ Philoſophorum ſententijs. quid eſt, quod te mouit, vt & toties deprædicares ipſe, plus quàm mortalem diligentiam, laborem Herculeum, & tua facta, operaq; fulmina loquerentur? poſteritatis memoria, fama, honor, æternitas: ecce ipſe adeſt, conticuere omnes, intentiq; ora tenebãt, tenuere ſilentia cuncti, clamor preſſus grauitate regentis conſtitit, ecce ora reſoluit: Vrbem, & Ciues integros, incolumeſq; ſeruaui. quibus pro tantis rebus Quirites, nullum ego à vobis præmium virtuti,

nul lum

nullum inſigne honoris, nullum monumentum laudis poſtulo, prærerquam huius diei memoriam ſempiternã. in animis ego veſtris triumphos meos, omnia ornamenta (honoris, monumenta gloriæ,) laudis inſignia cõdi, & collocari volo: nihil me mutũ poteſt delectare, nihil tantũ, nihil deniq. huiuſmodi, quod etiam minus digni aſſequi poſſint; memoria veſtra, Quirites, noſtræ res alentur, ſermonibus creſcent, litterarum monumẽta inueteraſcent, & corroborabuntur. ſoluimus grates, nobiſcum iam ſatis. nouimus enim alibi plurima, tum maximè pro Sexto Roſcio admiranda. Scæuolæ manus, quæ ſi non erráſſes, feciſſes minus, quid te peritura focis iniecisti? focus me gloriæ arſit. Cocles Horati, qui tantum ſcuto tuo vrbi, quantum Tyberis alueo munimenti attuliſti, quamobrem ſolus agmina, cohortes Porſenæ infatigabili pugnã ſuſtinuiſti, donec ſublicius à tergo abrumperetur? ecquid armorum pondere rapaciſſimæ gurgiti virum Tyberino Patri commendaſti, pluente ſuper tergora telorum imbre: or is me flumina deiecerunt, vt in altum dictorum, factorũq; mare Romanorũ confluerẽ. Itane vero quidquid pectore, alto, eruditoq. ſpiritu, qdquid animo, qdquid linguæ, quidquid manu admirabile eſt, ad cumulũ laudis perducitur? deſino iã mirari; educ ergo pugionẽ Lucretia, ferro perfode præcordia; ſponſe Iccili iube expediri uirgas, lictoribus te

 offer,

offer; Virgini ſumpto alipede ad celeritatem metire per exiguam noctis partem ſpatia (integram enim non dico) ex caſtris in Vrbem veharis, vel potius, (tanta erit velocitas) rapiaris, pudicæ Virgini ſuo pronunciutenimt Appius, feſtinus celeriorq́; filio Veneris, Cupidine, aduola: nequidquam tentatis omnibus, iacta ignominia, ignibus, nihil proficientia, ecce à lanione arrepto gladio cuſpidem mergit, puella, filia à patre occiditur: aliæ, alijq́; ſubire terribiliſſimũ terribilium, ſubire mortem, de inſignibus agitur. Curre Pytagora per Aegyptum, Perſas, Cretam, Lacedemoniam, Italiam curre, propoſita per id nempe, loca, terras, iniurias cœli, difficultates deuora, cum ma- ceteri, quærite monumenta laudis: Mathematici, qui in obſcuritate rerum, recondita arte, multiplici, & ſubtili verſamini; curis edacibus ſcandite Caucaſum, poſteritas veſtra nomina expectat, condite opera vos, qui alacri ſpiritu militiæ ſtipendia roboratis, addite calcaria equis, addite greſſum, transferte caſtra, figite ſigna, decus, honor, gloria, trophæa in tabulis ſita ſunt. Certate vos quot modis vnum verbum effari liceat, iniectis in os calculis [illegible] umpe contra montes Demoſthenes lingua [illegible], rumpe voces; non deerit præmium pulcherrimæ rei, non deerit decus; properate etiam vos, qui contemptum gloriæ introducitis, titulos, nomina veſtra præfigite libris, vt quod profeſſione eluatis, vſurpatione mo-

moriæ conſequamini: nam vos, qui ſceleribus in-
noteſcere non dubitatis, diuerſa veſtra ad gloriam
via eſt, mala eſt, non inuito: tandem huc obitus
clarorum, huc artes, huc partes, huc opus, huc labor,
huc tende per ardua ſudor. O rem omnium pul-
cherrimam, ò nominis tui celebritatem, ò æternam
poſteris tuis laudem. hæc pro certiſſimis credenda
tibi erunt. non enim tam fortunas, & opes, ætatem,
ac corpus, eiuſq; formã, ac integerrimos ſenſus, quæ
fluxa, atq; fragilia paulatim occidunt, ac ſeneſcunt,
ſed honorem, ac gloriam, quæ clara, æternaq́ habe-
tur, elegans, induſtrius, magnanimus, optimus
quiſq; diligit, admiratur, colit. hoc ergo eſt oratio-
nis meæ filũ, hæc proficiſcẽdi ratio. Iubilandum igi-
tur maximoperè tibi, tum quod ſummum pœnes
ſummos locum; tum, quod difficilimum eſt, amplif-
ſimas virtutes, & claros amicos, opes, deniq; vno ver-
bo, maximum inter maxima ipſam es fœlicitatem
conſequutus. Ac non veremur, ne blando oratio-
nis genere, aut aſsentatiuncula in animum tuum
obrepere videamur, ſi te maximè laudibus effere-
mus: neq; enim tu is es, qui neſcias quo loco apud
nos eſſe debeas, & qui nos non magis malè cultos,
ſi te non veneraremur, quàm ſi laudaremus aſſen-
tatores arbitrere. Ac nec illud quidem magnoperè
pertimemus, ne grati, ingratiue habeamur, prout ſa-
tis, aut parum dixerimus. Animaduertimus enim

 Deum

Deum ipſum, non tam accuratis adorantium precibus, quam innocentia lætari, ac ſanctitate: Sic gratiores plerumq; exiſtimari, qui magnis viris bonam mentem optimamq; voluntatem, quam diu meditatas orationes, aut carmina intulerint. Neq; quæ tua virtus eſt, cum apud ſummos plurimi ſis, vt à nobis quoq; habearis, contẽpſeris. magnus enim animus, cui magno nihil magnum eſt, cum ſe ſuper omnia ſuſtulerit, atq; cætera magno æſtimata mortalibus contempſerit, ſe ipſum tamen, hoc eſt, ſui ſimiles contemnere non poteſt: verùm omne honeſtum laude proſequendum iudicabit. decet enim magnanimitas mortalem, etiam illum infra quem nihil eſt.

Gratulamur præterea, quòd numine propitio, omnibus bonis, ſyderibusq; fauentibus; quamuis inuſitata, ac periculoſiſſima itinerum ſpatia feris, hominibusq; nunquam, vel rarò alias, vt nunc infeſta, non tutè admodum permenſus: tamen cum glacialis canos hirſuta capillos hyems, frigore rigentes; niue turgidi amnes fugere, cum longis Cerealia ſulcis obruta ſunt, cum nec iugo iuuenci, nec arator igni, verùm Attica mater flebiliter enectum gemit Itym: tamen cum mulcent cantibus aues aera, cum Cytharea, iunctęq; decentes Gratiæ Nymphis Choros ducit, cùm impellunt animæ lintea Thraciæ, machinæ ſulcant ęquora, pelagusq;: tamen cum

gra-

graues Cyclopum Vulcanus ardens vrit officinas, cum relictis ſtabulis gaudet aperto liber pecus cã-po, luditq; prato nec dum rupta fronte iuuencus, cum vacua matres reparãt vbera, & dicunt in tenero gramine pinguium cuſtodes ouium carmina fiſtula: aperta tellute ſpirãte fauonio, vernante cœlo (aperit, ſpirat, vernat nobis) viridãte terra, corruſcãte ture, renouato mũdo, læta rerũ omniũ facie (uiretq; corruſcat lætatur nobis) deniq; profuſiſſimè ridẽte anni tempore, fœcunda prole dum omnis parturit arbos (partus nobis) ortoq; Orione (ortus nobis) cùm maximum æſtum, ſitimq; adducit Sirius, nobis tui auidiſſimè ſitientibus, ac æſtuantibus huc valetudine, ſaluis fortunis, incolumis, peroptatus, ac deſideratus tandem adueneris.

Exprimere autem non poſſumus, vt ad alterã mihi propoſitã orationis partẽ veniã, quibus lætitijs incedimus, quantum debacchamur, quantum nobis quoq; noſtro nomine gratulamur. quia, ſi quando alias, vel nũc maximè ſperare nobis licet tua authoritate emerſuros. Neq; enim dubitamus, quin tu, propter ſingularẽ, & præſtantem naturæ tuæ bonitatem, cum iterum ad proprios remeaueris penates, laresq; quin Sigiſmundo, & Regi noſtro Primo, & benefactori Primo, nos ſuos alumnos de meliori nota commendes. quod vt facias, nos ſummo ſtudio, quantaq; poſſumus animi ſubmiſsione, à te maiorem

rem in modum, etiam, atq; etiam, contendimus, & flagitamus. Quod ſi Potentiſſimus adiutor noſtris precibus acceſſeris, quod ſperare, atq; credere nos tua eximia cogit benignitas, atq; vberrima clementia, diſperdeam, ſi non clementiſſimum, liberaliſſimumq; nobis Regem habituri ſimus. quia ipſe, & tuo ſuffragio libentiſſimè indulget, & teſtimonio plurimum credit. Offeres S. R. Maieſtati: ni graue eſt, & ſi tuo commodo fieri poteſt: ex parte noſtra, poſt plurima, iuxta ac fœliciſſima gubernandi tẽpora atq; ſingulis ſuis votis, & deſiderijs, iucundiſſimam longiſsimamque proſperitatem noſtrũ exile ſeruitium, ac tale quale miniſterium, ſua quidẽ Maieſtate admodum exiguum, ſed noſtra voluntate maximum. Cæteri viderint, ego hoc ſpondeo, in meq; recipio, daturum vehementer me operam, omneſq; ingenij mei neruos intenſurum, ne tantam clementiſſimi in me Regis munificentiam, tot annis præſtitam, aut ingratus, aut, ſi enitar, elaborauerim impenſius, fortaſſe efficiam, ne vndequaq; indignus accepiſſe videar. Profectò, teſtibus ſuperis, ac conſciẽtia, meã in Regem venerationem ſummam gratitudinem, atq;, abſit inuidia verbo, quibus rediculum putatur, remunerationem eſſe profiteor, quæ in ſe conſiderata vile eſt, tenue quid, nihil eſt: comparata tamen ad animi mei voluntatẽ, ſic magnum, vt auſim, abſq; arrogantia, cum cæ-

terorum

serorum quantumuis muneribus contendere. ipſe Rex pati poteſt, neminem ego patiar hac in parte me ſuperiorem. alios enim debere, confiteri, eſſe omnibus ingenij ac fortunæ bonis ſuos, quid vltra poſſint? velle? Atqui ſi eſt quis ſui amantiſſimus, me antecedere, propior ipſi eſſe poteſt; voluntate verò ex penitiori animi ſui ſenſu nō poteſt. Itaq; ſæpenumerò cōſiderātes, quæ nobis tributa à perſona tàm graui, eximia etiam ſpectante, deinde in tenuitatē noſtram oculos reflectentes, valdè commouemur: ſed nos ipſi conſolamur. quia excelſi animi eſſe ſcimus, amare voluntatem, ſtudium, deſiderium, vel ſi res abſit. Quod reliquum eſt: quamquam videamus quid ſimus hoc tempore, & quid poſſimus: tamen, ſi quæ occaſio extiterit optata magis, quàm ſperata, vt tibi, tuiſue perſpici poſſit animi noſtri cupiditas, ac promptitudo, atque ſumma obſeruantiæ fides, intelliges profectò, intelliges quibuſcunq; rebus poſſumus opera, fauore, ſtudio, rei, famæ, ſaluti tuæ ſemper nos præſtò futuros. Nulla ſana res erit Excellentiſſime Domine, quam in tuis rebus agamus, neque tàm magna, neq; tàm parua, quæ aut laborioſa nobis, aut parum grauis videatur. omnia, quibus curæ tuæ, ſiue hic Romæ, ſiue alibi, noſtris ingenijs, aut laboribus minuantur, & non difficilia, & nobis digniſſima videbuntur Quapropter, vt finem dicendi faciam, optamus certantibus votis, Vene-

randiſſime Domine, precamurq́, Deum Præpotentem Optimum Maximum, & tuis omnibus inceptis ſecundis auſpicijs adſit, & hanc legationem, & plurimas alias quam fœliciſſimas ſuſtineas, agaſq; æternaq; laude florentem tuæ virtutis gloriam, & incolumis, & fortis, alijs ſuper alia operibus augeas, cumules, amplificeſque.

D I X I.

Imprimatur ſi placet R. P. M. Sacri Palatij.
B. Gypſius Viceſger.

Ex commiſſione Reuerendiſſimi P. M. S. P. Ego Nicolaus Caſſianus vidi hanc orationem gratulatoriam D. Iſraelis Potamandri, quæ tota reſoluitur in laudē ſui authoris, & quia non tranſgreditur limites humanarum litterarum, nec aliquid videtur continere cōtra fidē, aut bonos mores; cenſeo imprimi poſſe, ac me ſubſcripſi hac die 23. Iulij. M. D C. V.

Imprimatur.
Frater Paulus de Francis ſocius Reuerendiſs. P. M. Sacri Palatij. Apoſt.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITT. EMAN.

FINE